



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. VI. De Officio B. Mariæ in Sabbato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

## §. VI.

## De Officio B. MARIÆ in Sabbato.

I. **D**icendum est hoc Officium, quoties in Sabbato Festum novem Lectionum, aut Feria Major vel Vigilia non occurrit; nec ratione Dominicæ anticipandæ, aut Responsoriorum primò in Dominica ponendorum celebrandum est Officium.

II. Ritus hujus Officij in omnibus cum Ritu Simplicis Festi convenit, excepto, quòd, si per enumerata Festa & Ferias impediatur, nulla de B. Virgine commemoratio fiat, qualis tamen commemoratio Simpli conceditur.

III. Quòd si in Feria VI. antecedente aliud de B. Virgine Festum celebretur, non erit de ea facienda ordinaria commemoratio, sed sola Oratio Festi dicenda est, ne bis de eadem in Officio fiat commemoratio.

IV. Si aliud Festum novem Lectionum in Feria VI. occurrat, nec aliud impedimentum sequenti die objiciatur, non solum commemoratio de B. MARIA in Sabbato facienda, sed etiam in Hymnis Vesperarum & Completorij ultima Stropha Hymni perinde varianda est, ac si de B. Virgine à Capitulo dictum fuisset Officium, cum per concursum altioris Festi non adimatur ei jus ad eas partes, quæ sine præjudicio Semiduplicis ei concedi possunt. Ita Gavantus l. 8. c. 6. n. 5. & Arnaudus p. 4. tit. 40. n. 3. qui licet tantum hanc mutationem in Completorio faciendam asserant; eadem tamen ratio etiam in Vesperis eam faciendam esse persuadet, cum etiam ad has à Capitulo jam jus habeat B. Virgo. Et ita ex ipsis Rubricis tit. 20. n. 4. manifestè colligi videtur. Nec obstat, quòd eadem Rubrica dicat variationem hanc faciendam esse, *quando Officium sit de B. MARIA*; nam hoc intelligendum non tantum de toto Officio, sed ipsam etiam commemorationem, colligitur ex eodem textu, dum ait, *per Octavas prædictas* (inter quas etiam est Octava B. V.) *variationem hanc faciendam esse, etiamsi Hymni (adeoque ipsum etiam Officium) de Sanctis dicantur.*

## §. VII. De